

duabus inferi propofitio exponenda fuit exponibilis. Verbi gratia, Hæc vniuerfalis affirmatiua omnis homo eft rifibilis, fic probatur exponibiliter apud logicum. Homo eft rifibilis, & nihil eft homo, quin illud fit rifibile, ergo omnis homo eft rifibilis.

Quantum ad fecundum aduerte, quot genera propofitionum probantur exponibiliter fcilicet,

Vniuerfalis affirmatiua, quocumque modo fiat.

Vniuerfalis autem negatiua non exponitur, fed alio modo probatur, vt dicemus.

Exceptiua, affirmatiua & negatiua.

Exclufiua, affirmatiua & negatiua.

Reduplicatiua affirmatiua.

Termini autem probandi exponibiliter funt ifti.

Immediatè.

Necelfariò.

Contingenter.

Ab æterno.

Semper.

Totus, tota, totum.

Infinutum.

Incipit.

Definit.

Differt.

Gradus pofitiuus.

Gradus comparatiuus.

Gradus fuperaltiuus.

Ifti funt termini exponendi fuit exponibiliter probandi, de quibus figillatim pertractabimus infra,

Quantum ad tertium incipiendum eft ab vniuerfali affirmatiua, fecundo loco agemus de exceptiua, tertio loco de exclufiua, quarto loco de reduplicatiua.

Vniuerfalis affirmatiua quomodo probatur

Vt autem habeas vniuerfalem notitiam exponibiliter probandi vniuerfalem affirmatiuam aduerte, quòd poteft fieri quatuor modis.

Primò in recto tam in fingulari quàm in plurali.

Secundò per verbum ampliatiuum.

Tertiò per participium verbi ampliatiui.

Quartò per fubiectum compositum.

Si fiat in recto & non per verbum ampliatiuum tã in fingulari quàm in plurali, debet exponi per duas exponentes, fcilicet per fuam prædicentem, & per vniuerfalem negatiuam, in qua ponitur hæc diftictio quoniam inter fubiectum & prædicatum, & ei fubiungitur pronomen relatiuè ille illa illud, vt hic, Omnis homo currit, fic exponitur. Homo currit & nullus eft homo quin ille currat, ergo omnis homo currit, in plurali fic. Omnes hoies currit, Homines currunt, & nulli funt homines, quin illi currant, ergo omnes homines currunt, Confimili modo exponatur fi fiat in obliquo, excepto quod in exponente vniuerfali negatiua, ponetur femper in recto fubiectum exponendæ, & relatiuum in confimili obliquo cum obliquo exponendæ tã in fingulari quàm in plurali. In fingulari vt hic, Cuiuflibet hominis afinus currit, fic exponitur. Hominis afinus currit, & nullus eft homo, quin illius afinus currat: ergo cuiuflibet hominis afinus currit. In plurali, vt hic. Omnium contradiçtoriorum altera pars eft vera, altera falfa, exponitur fic. Contradiçtoriorum altera pars eft vera, altera falfa: Et nulla funt contradiçtoria, quin illorum altera pars fit vera, & altera falfa, ergo omnium contradiçtoriorum altera pars eft vera & altera falfa.

Si fiat vniuerfalis affirmatiua per verbum ampliatiuum, eodem modo exponenda eft excepto quod in vniuerfali negatiua exponente, verbum fumetur difiunctum. Verbi gratia, Omnis homo morietur, fic exponitur. Homo morietur, & nullus eft vel erit homo, quin ille morietur, ergo omnis homo morietur: eodem modo exponetur, fi fiat in plurali: si fiat in obliquo. Exerce teipfum in exemplis.

Si fiat per participium verbi ampliatiui, eodem penitè modo exponenda eft. Verbi gratia, Omnis homo eft præteritus: fic exponitur. Homo eft præteritus: & nullus eft vel fuit homo quin fit præteritus, ergo omnis homo eft præteritus. Item omnis homo eft generandus: homo eft generandus: & nullus eft vel erit homo, quin ille fit generandus: ergo omnis homo eft generandus.

Si fiat de fubiecto cõposito, puta de fubiecto difiuncto: poteft dupliciter exponi fecundum quod fubiectum poteft efle totum difiunctum, vel foli prima pars difiuncti, si primo modo fic exponitur. Omnis homo vel afinus eft afinus: homo vel afinus eft afinus, & nihil eft homo vel afinus, quin

illud fit afinus, ergo omnis homo vel afinus eft afinus. Si fecundo modo, fic exponitur. Omnis homo vel afinus est afinus. Homo vel afinus est afinus, & nihil est homo vel afinus quin illud fit afinus, ergo omnis homo vel afinus est afinus, & hic fecundus modus exponendi est melior, quoniam in primo vniuerfalis negatiua exponens est falfa, in fecundo autem est vera, & ideo exponenda est fecundo modo.

Cõtat igitur tibi quomodo omnis propofitio vniuerfalis affirmatiua, quocumque modo fiat probanda est exponibiliter. Et aduerte quod ex hoc modo probandi terminata faluant multas propofitiones quæ primo afpectu videntur falfe. Sicut funt ifte, Omne quod fuit eft. Omne quod erit eft. Omne quod poteft efle eft. Omne quod non erit eft. Omne quod non poteft nec poterit efle eft. Quomodo autem faluenter, vide tu in tractatu Pauli Veneti de probationibus terminorum. Nam quia huiusmodi parum nobis defertunt in acquisitione fcientiarum realium non eft in eis imorandum.

Reliquum eft dicendum de vniuerfali negatiua quocumque modo fiat, quomodo probanda est, an exponibiliter, an alio modo.

Aduerte igitur quod apud logicos non probatur exponibiliter, fed aut per inductionem, aut per fuum oppofitum cõtradictorium, per inductionem fic, Nullus homo est afinus. Nec ifte homo est afinus, nec ifte, nec ifte, nec ifte, & fic de fingulis, ergo nullus homo est afinus. Per oppofitum contradiçtorium fic, Hæc est falfa, aliquis homo est afinus, quia non inuenitur fuppositum de quo verifecetur, ergo ifta est vera: nullus homo est afinus: confequentia patet, quia ifta duæ funt contradiçtorie, aliquis homo est afinus, nullus homo est afinus, & in omni materia, vt docuimus in tractatu tertio, necesse est vnam efle veram, & alteram falfam, cõ igitur hæc fit falfa, vt ad fenfum patet, aliquis homo est afinus, ifta erit vera, Nullus homo est afinus. Hæc de probatione vniuerfalis affirmatiuæ, & vniuerfalis negatiuæ modo logico, dictum fit.

Secundo loco agendum eft de probatione exponibiliter propofitionis exceptiuæ tam affirmatiuæ quàm negatiuæ. ut quomodo Pro cuius notitia tria agenda funt, primò quæ, & quot funt dictiones facientes exceptiuam. Secundò quomplex fit exceptiua. Tertiò quomodo probanda est apud logicum.

Quantum ad primum aduerte, quòd dictiones facientes exceptiuam funt ifte, præter, fuit præterquam, & nifi: differenter tamen conftituunt eam, quoniam præter & præterquam conftituunt tam affirmatiuam quàm negatiuam. Nam hæc eft vera, & congrua exceptiua, Omnis homo præter Sortem currit, & hæc, Omne animal præter hominem eft irrationale, & hæc, Nullus homo, præterquam Chriftianus faluatur. Hæc autem dicitio Nifi, non conftituit proprie loquendo exceptiuam affirmatiuam, fed tantum negatiuam. Non enim congrue dicimus, omnis homo nifi Sortes currit, fed negatiue fic. Nullus homo nifi Sortes currit.

Sed aduerte, quod hæc dicitio præter non in omni fenfu cõftituit exceptiuam, fimiliter nec nifi. Nam præter folet fumi quatuor modis. Primo fumitur pro fine, vt Rex poteft regere populum præter auxilium alterius, i fine auxilio alterius. Secundò fumitur per additionem, vt me oportet foluere mercatori decem ducatos præter folutos, i. vltra vel fupra folutos. Tertiò fumitur per remotionem alicuius partis à toto, vt quando dicimus, quatuor præter vnum, i. extra tracto vnò, emanent tria, fumitur exceptiue, vt quando à confortio prædicati excipitur aliqua pars fubiectiua, alicuius cõmunis. Verbi gratia, Omnes homines præter Chriftianos funt infideles. Et folam in hoc quarto fenfu, conftituit propofitionem exceptiuam. Dicitur enim exceptiua quando capitur pars extra totum, quæ non participat cum toto refpectu alicuius prædicati.

Hæc dicitio nifi folet fumi dupliciter. Primò ditiona liter, & æquipollet huic, fi non, vt quando dicimus, nifi dominus cuftodierit ciuitatem, id eft fi dominus non cuftodierit ciuitatem frufta vigilat, &c. fecundo fumitur exceptiue, vt quando dicimus, Omnis homo nifi Chriftus peccauit, id eft excepto Chrifto, & tamen fi aduertis magis proprie dicitur, omnis homo præter Chriftum peccauit. Diximus enim fupra, quòd nifi exceptiue fumptum, non conftituit congrue loquendo nifi exceptiuam negatiuam, vt hic, non eft inuentus fidelis patriæ nifi Marcus Cato, id eft nullus præter Marcum Catonem.